



~~217~~

EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.

VITEBERG.

17-59.

SIGNAT. MDCCCXIII.



DISSERTATIO MORALIS
DE
POENIS,

Quam

25

Auctoritate & Permissu
Amplissimi Senatûs Philosophicî

PRÆSES

M. CHRISTOPH: JOHANN:
BELOW, Calb. Sax.

RESPONDENTE

MARTINO CHLADNI,
Cremniz. Hung.

In illustri ad Albim Academiâ

AD DIEM XXVI. MARTII, Anno M. DC. XC.

publico placidoq; Eruditorum Examine
subjicit



WITTEMBERGÆ,
TYPIS JOHANNIS WILCKII.

h. III. 3649



TRACTATUS MORALIS

POENITENTIAE

22

22

Auctore & Perceptor
Augustinus Sacerdos & Episcopus

PRÆSES

M. CHRISTOPH. JOHANNI

BELLO W. CAROLUS

RESPONDENTE

MARTINO CHLADNI

Canonico

In Illustri ad Altiſſimam Academiâ

AD DEM KAN. MARTII A. M. DCCX.

publico placito; Examinis

ſolliciti



WITTEMBERG
J. H. WILHELM





J. J!



Remiis & pœnis contineri Rempubl. scitum Solonis dictum est, & hæc ipsa sunt quasi duo Dii Imperiorum effato Democriti. Nisi enim premiis inflammantur boni, segniores evadunt; nisi supplicius deterreantur mali, audaciores fiunt: Unde enim singuli velut signo dato ad fas nefasq; miscendū coorti sunt:

Non hospes ab hospite tutus,
Non focer à genero: Fratrum quoq; gratia rara est;
Imminet exitio Vir conjugis, illa mariti,
Lurida terribiles miscent aconita novercæ,
Filius ante diem patrios inquirat in annos.

Ovid. lib. 1. Metamorph.

Atq; uti æquum est pios premiis afficere, ne evalescat virtus, ita quoque justum est ac naturali juri oppidò quàm congruum punire fontes, ne augeatur malitia. Sit proinde de Poenis labor noster, in quo causas earum evolvere conabimur, si paulisper enodaverimus, quæ ad nominis spectant rationem. Cui nostro proposito ut benignissimum Numen ex alto benedicere velit, devotis nunc votis precamur.

§. 1. Verba tesserae quasi quædam ac notæ ipsarum rerum sunt: quare de pœnis nobis nonnulla commentaturis, primò omnium indaganda venit derivatio vocis, ejusq; variæ acceptiones & Synonyma: Qui enim nucleum esse vult, nucem frangat oportet, & qui domûs vestibulum adire cupit, fores antea referet. Commorabimur itaq; circa originem vocis pœnæ, quæ nullis derivatur à puniendo, vel pœnitendo. Vid. Varro l. 4. ling. lat. Alias deducitur à pendendo, indicando mulctam, quæ quis ob delictum afficitur: aut ab eo, quod ponè est. Sunt etiam aliæ derivationes quamplurimæ, de quibus non adeò solliciti sumus, cum argumenta Etymologica infirmi admodum sint roboris. Variè præterea notio pœnæ accipitur: (1) Notat *damnum* s. malum quodcunq;, quod alicui obvenit, licet id ipsum non patitur propter aliquam culpam antecedentem, sed aliunde, si nimirum vel casu quodam, vel per injuriam contingat: quo sensu omne nocumentum, quod perpetuè grave est, inter pœnas numeratur.

A 2

merat



meratur. (2) Dolorem, qui delinquenti propter delictum infligitur, atque ita perpetuum respectum ad antecedentem culpam infert, sine quo tam minus poena concipi potest, quam pater sine filio aut equus sine equo. Hinc Hor. l. 3. carm. 2.

Rarò antecedentem scelestum

Deseruit pede poena claudo.

Et hæc acceptio in præsentī disputatione attenditur. Unde H. Grotius Lib. 2. de Jur. B. & P. c. 20. n. 1. Poenam definit per malum passionis, quod infligitur ob malum actionis, & sic merito huc referri nequeunt Martyres, qui patiuntur quidem, sed non puniuntur, cum nullius delicti, quod supponimus, rei sint.

§. 2. Poenæ vocabulo respondet in vernacula lingua Straffe / Bestrafung eines Lasters / Verbrechen; in Latina Castigatio, Emendatio, coercitio, punitio, vindicta, ultio, multa, supplicium, animadversio, vindicatio. In Hebraica שָׁדוּ, Chaldaica שָׁדוּ, Syriaca ܫܕܘܐ, Græca Δίκη, Τιμωρία, in Gallica, peine, punitio, supplice. In Italica Poena, supplicio, Castigio, punitio. In quibus tamen omnibus Synonymis nonnihil intercedere discriminis, si genuinum usum spectemus, facile largimur.

§. 3. Enucleata jam vocis origine de re ipsa solliciti sumus. Primo autem loco se nobis offert Causa efficiens, quam quod concernit, nullam aliam esse judicamus quam quibus potestas à Deo in subditorum vitam, actiones & bona obtigit. Sunt equidem, qui juri naturæ adscribunt poenas, sed sine causa. Nam quam afferunt rationem, dicendo, quod jus naturæ, quæ omittenda, quæque faciendæ sunt, præcipiat, illam non concludere quis non videt? Dicitur equidem jus naturæ delicta esse puniendæ; jubet etiam ut delictis poenæ commensurentur: quænam verò sint illæ personæ, quæ de delinquentibus poenas sumere debeant, diversaque poenarum genera, specialiter non determinat. Hinc MAGNIF. DN. ZIGLERUS: Frustra, inquit, prohiberet lex naturæ, nisi etiam gladium & virgas judici daret, & punire transgressores juberet, cum imperfecta ea lex sit, quæ sanctione caret, & Grotius de J. B. & P. c. 20. lib. 2. §. 3. sed hujus juris subiectum. i. e. cui jus debetur, per naturam ipsam determinatum non est. Dicitur enim ratio, maleficum posse puniri, non autem, quis punire debeat. Quare licet res sit confecta

ex

ex jure naturali, sceleratos esse puniendos, interim tamen non definit, quis executionem pœnarum exercere debeat. Hac etiam de re nos luculentissimè instruit sacer codex, qui independenter & principaliter Summo Numini jus pœnæ tribuit, quippe quod in rigore justitiæ suæ scelestum non dimittit impunitum, sed supplicia exigit à nocentibus, unde & vindex dicitur, & retributio ipsi assignatur: Majestati verò civili dependenter, utpote Dei vices in terris gerenti: adeoq; innocentes pœnæ haudquaquam subjacere pronuntiat, facinorosis verò debitas imponere pœnas jubet. *Vid. hac de re Paulus Rom. 13. Dei enim, inquit, Minister est, tibi in bonum. Non enim temerè gladium gestat. Nam Dei minister est, ultor ad iram ei, qui, quod malum est, fecerit.*

§. 4. Antiquissimis eque temporibus jus vitæ & necis erat etiam penes parentes, maritos ac Dominos, seu Patres familias, antequam potestati summæ ex Reipublicæ intrinseco contextu concederet: adeoq; illi ipsi exercebant etiam animadversionem in fontes & pœnas irrogabant: sequentibus inde temporibus factum est usq; ad potestatis civilis plenariam constitutionem, ut haberetur jus vitæ ac necis à quovis Patrefamilias ferè, quin etiam à plurimis sub opinione vel consuetudinis vel naturalis concessionis. Nunc demum postquam imperia civilia cœpère, si non in totum adempta illa potestas, tamen imminuta valdè est, ut præter modicam castigationem, quam & hodiè exercere possunt, vix ipsis quicquam reliquum fuerit. Quare majestati civili competit hodiè animadversio in fontes & jus pœnas irrogandi. Illa enim personam Reipubl. gerere debet, ejusq; dignitatem & decus sustinere. *Cic. lib. 1. Offic. & Puffendorff: Enimverò, inquit, nobis fixum sedet potestatem pœnas sumendi esse partem imperii, adeoq; neminem posse pœnam propriè dictam alteri imponere, nisi qui in ipsum Imperium habet.*

§. 5. His tacitè innuitur non omne individuum humanum capax & habile esse ad recipiendam hanc qualitatem moralem. Ultio enim & vindicta, quæ cum pœna coincidunt, præsupponunt imperium & potestatem cogendi, & invito alicui aliquid infligendi. Quare PUFFENDORF. §. 10. *Pœna propriè dicta, pergit, non potest sumi, nisi ab imperante, quicumq; demum istius finis sit: Quod si verò Parentes animadvertunt in liberos, propriè non pœna, sed*

castigatio potius nominanda. Discrimen enim inter personas, inquit H. Grotius l. 2. c. 20. §. 7. quibus id liceat, aut non, factum est à legibus, quæ communem illam generis humani propinquitatem vitandarum rixarum ergo ad proximos affectus restrinxerunt, quod autem propriè non pœna, sed castigatio nominanda, & PUFFENDORF. §. 10. de J. N. & G. l. 8. c. 3. inquit: Parentes duplici nomine castigandi suos liberos jus habent, tum quia educatione per naturam imperata rectè fungi nequeunt, nisi ipsis concessum sit pro captu aliquid asperioris discipline adhibere; tum quia extra civitates degentibus in liberos imperium competit, quod licet in multis civitatibus satis sit accisum, ubi tamen id ferè remansit, ut suo judicio eos possent castigare propter illa peccata, quæ magis ex imprudentia juvenili, quàm robusta animi malitia committuntur.

§. 6. Res igitur clara est, quod nulli nisi majestati civili competat animadversio in fontes & jus puniendi. Quæritur autem: An majestas impia possit alios punire? H. Grotius pro negativa sententia videtur militare: dicit enim æquè nocentem ab æquè nocente non debere puniri l. 2. c. 20. de J. B. & P. Adducit etiam Senecam, qui dicit: Non potest ullum locum habere sententia, ubi, qui damnandus est, damnat. Sed Resp. (1) dictum Grotii non pertinet propriè ad eos, quibus potestas publica competit pœnas exigendi; Sed qui nulla ex necessitate officii, & ostentando adversus vitia odio, ad censuram aut accusationem vitiorum privata autoritate prorumpunt. (2) Omnis magistratus est à Deo, quin & malus: huic ut debitam obedientiam præstemus, Summum Numen præcipit: quare sceleratus, si damnat alios, se ipsum damnat. Et licet executio ob conditionem personæ non habeat locum, uti DN. ZIEGLERUS inquit, tamen supra se habet alium judicem, cui debitas ille pœnas dabit.

§. 7. Hinc excusatio illa non procedit, si privatus se ipsum vindicaret, ex hac ratione, quia majestas cum delinquente pari vitio laboraret. Nam si hoc procederet, certè desineret autoritas publica & potestas illa gladii, juxta quam civilis potestas dicitur vindex ad malum Rom. 13. Pugnaret etiam, si privatus privatum punire præsumeret, cum naturali æquitate, quæ vult, ut proximum ames, nullo modo lædas; nec facias alteri, quod tibi non vis fieri: Nascitur etiam ille amor ex cognatione, quæ est
inter

inter omnes homines ex uno scil. semine & sanguine prognatos. Et quis ignorat, illam vindictam ex vehementi affectu, quem iram nominamus, proficisci, quæ non facit, quod rectum quodq; justum est coram Deo. Quin id genus homines degenerant velut in feras bestias. Feræ enim est, non hominis, id cogitare, quomodo remordeat quis mordentem & nocenti noceat. Tandem societatem illam minimè ordinatam dicerem, sed potius *ἀναρχίαν* & rerum confusionem, in qua cuivis liceret despiciere iudicem, & semetipsum vindicare; quoniam sæpius sub colore juris & æqui infirmiores & miseri homines à potentioribus opprimi possent. Imò & hoc absurdum exinde sequeretur, ut quò quis fortior & potentior esset, eò plus juris haberet. Quapropter etiam moti sunt Imperatores, ut jus manuarium, (*Fausts und Kolben Recht*) quo Cyclopes olim usi sunt, & quod apud Germanos olim usitatisimum fuit, abrogarent.

§. 8. Sed adhuc contrarius nobis videtur esse *Hugo Grotius* l. 2. de J. B. & P. c. 20. qui dicit l. c. *vindictam privatam non esse illicitam* Adducit etiam exempla ex *Scriptura* S. desumpta, quæ probant, vindictam privatam esse licitam. v. g. Samsonis, de quo dicit l. c. Hoc naturali jure defendens se Samson adversus Palæstinos, in fontem se testatur fore, si Palæstinos, qui se malo affecerant, malo vicissim afficeret. Et post peractam ultionem eadem se tuetur ratione dicens: se ipsis fecisse quod ipsi sibi fecissent priores. Et paulò post adducit etiam loco exempli Maccabæos, quos *Ambrosius* laudat, quod etiam Sabbatho ulti sint innocentium necem fratrum suorum. Sed *Resp.* 1. contrariatur hoc *Scriptura* S. quæ dicit *Prov.* 25, 24. *Ne dicito, quemadmodum fecit mihi, ita & ego et faciam.* 2. dist. inter exempla ordinaria & extraordinaria Exemplum Samsonis non potest facere regulam, sed fuit extraordinarium. 3. Neq; id studio vindictæ privatæ, sed potius ex recordatione suæ vocationis & dictante ita Spiritu S. in capitales Dei & suos hostes id conatus est. Quod attinet factum Maccabæorum, & hos sustinuisse personam non privatam sed publicam, in confesso est.

§. 9. *Methodi nostræ* memores, progredimur ad enodationem *materiæ seu objectum*, quod duplex est, personale & reale. *Objectum Personale* s. *Subjectum* pœnæ sunt subditi delinquentes, sive

sive sit mas s. foemina, s. nobilis, s. plebejus, s. Clericus, s. Laicus. De Clericis dubitant adhuc Papistæ, & nullo modo concedunt, Clericum sub imperio civili comprehendi posse, adeoq; transferunt illud imperium vel ad Episcopum vel ad Papam. Verum, si dicendum, quod res est, omnino & Clerici Imperio civili comprehenduntur, adeoq; sunt subiectum pœnæ. Cui demonstrando non deficiunt in *Sacris* exempla. Scimus enim de *Salomone*, quod Abiaterem ab officio removerit, *1. Reg. 2. v. 26, 27.* Id quod nequaquam effectum dare potuisset, nisi imperium Salomonis in Sacerdotes se extendisset. Accedit, quod *Paulus Rom. 13. v. 1.* Omnem animam subjicit potestati supereminenti, sub qua & Clericos comprehendi necessum est. Et Servator jubet Petrum magistratui fraterum solvere. Tandem si Clerici non pertinerent ad imperium civile, majestas non potestas summa esset, neq; ad omnes, qui in Republ. sunt se extenderet.

§. 10. Haftenus de Laicis & Clericis diximus, illos esse subiectum pœnæ, si delinqvunt. Jam quaestio de brutis nascitur, num illa puniri possint? quod à nobis negatur. Ratio est, quia illis proxima delicti causa, quæ est voluntas, deest. Bruta enim non liberè & voluntariè agunt, sed necessariò: Illi verò tantum delinqvere dicuntur, qui nocendi animum habent, id quod de brutis dici nequit. Ubi enim abest delinquendi vel non delinquendi discreta consideratio, ibi crimen abest. Carent deinde intellectu, & cognitione rerum faciendarum & omittendarum: Hinc quanquam bruta à nobis quandoq; percutiantur, id tamen non pœnæ loco est, sed tantum juris nostri executio & humani in bestias domini usus. *Selden. de J. N. & G. l. 1. c. 4. §.*

§. 11. Neque huc referre possumus res inanimes, ut quæ omni sensu carent. Nam ubi deficit sensus, ibi nec delictum, nec pœna locum habet. Cùm verò aliquid in detestationem criminis ejusq; memoriam extinguendam fit, id propriè pœna nominari non potest. Quæri autem potest de cadaveribus *Αυτοχειραυ*, num pœna affici queat? Ubi respondemus: Omnis pœna, cùm dolorem aliquem inferat, ad viventes pertinet; In detestationem tamen criminis, quod vivus in se ipsum commiserat, & in declarationem, corpus istud, dum vivum esset, pœna tali dignum fuisse, severiq;, atq; aliàs moris est, tractatur cadaver, quæ
seve-

severitas pœnæ speciem præ se fert, eum in finem, ut recordatione periculi alieni caveant sibi alii, & horror injiciatur ejusmodi horrendis exemplis. Neq; verò tale quid ab humanitate alienum reputandum est, cum Scriptura S. quoq; velit, *ut cadaver a impiorum in se, ulta maneat, quò memoria post mortem damnetur. Jerem. 16, 4. 6.*

§. 12. Meritò etiam excipiuntur infantes pariter ac furiosi. Infantes quod attinet, omni judicio carent boni & mali distincto, incii & inviti faciunt, quicquid delinquere videntur: carent tandem electione, adeoq; ab omni culpâ sunt immunes: negatâ verò culpâ, negatur etiâ pœna. Formale enim, propter quod malum, quod alicui infligitur, pœnæ rationem habet, culpa est, quæ legis transgressione est contracta. Hæc si non datur, pœna quoque locum non habet. Hinc Prudentius *de Si 5. 5. Hymn. X.* Nec vim decebat innocentia tatulæ inferre lege &c. Faciunt huc verba AMESII de CONSCIENTIA, cap. 3. lib. 5. n. 8. *Pœna justa, inquit, in formali suâ ratione respectum habet ad culpam antecedentem, ut effectum ad suam causam impellentem, aut meritoriam. Ut adjunctum ad suam similem regulam ex qua mensuram habet, ut actus corrigens, ad suum objectum corrigendum: Nullum igitur locum habere potest, ubi nulla culpa præcessit. Et Excellent. DN. Köhrenssee/P. P. Moraliu, Præcept. ætatem colendus in Disp. de Pœnâ innocentis, inquit: Necessarius & inseparabilis nexus est inter pœnam, reatum & culpam, qualis videlicet inter antecedens & consequens, ut dato consequenti, necessum sit dari etiam antecedens, etsi contra non valeat.* Ex his proinde firmissimè concluditur, infantes omni pœnâ eximi debere. Quapropter etiam prægnantes ordinariè non puniuntur, ne quid innocuo fœtui inferatur, quod solius matris erat, ut lueret.

§. 13. Furiosos quod attinet, & illis deest voluntas, neq; propositum delinquendi habent. Jam autem quæritur, an furiosus, qui post patratum facinus in furorem incidit, puniri possit? *R. Neg.* quia jam tum miserrimè tractatur à furore & sat pœnæ habet: afflictio autem non addenda ulterior afflictio est. Quod si verò sana mens redit, & iterum resipiscit furiosus, non video, cur non etiam illi pœna pro delicti qualitate imponi possit.

§. 14. De Principibus tandem & personis majestate fulgentibus

B

tibus

tibus res confecta est, quod ab omni pœnâ immunes sint, ex quibus porrò sequitur, illas non esse subjectas pœnæ. Aut enim sibimet ipsis dictabunt leges, aut sument pœnam ab iis subditi. *Prius* quod attinet, sciendum, vim coactivam in has personas nullam esse; nemo n. sui ipsiq; coactor esse præsumitur; Nemini etiã in propria causa judex esse juxta regulam Jctorum permittitur. Num autem altera alteram Majestate pollentem personam punire possit, valdè dubitatur, quia par in parem non habet imperium. Longè autem alia esset ratio, si quis in alterius territorio commoraretur, tunc omnino cessaret & respectus superioritatis, & majestas subjici videretur Imperio ac Summitati ejus, in cujus civitate versatur. *Posterius* concedi nequit, ex hac ratione, quia potestas pœnas sumendi requirit partem Imperii: quomodò autem subditus alteri pœnam potest imponere, si ipsi in alterum nullum concessum est Imperium. Porrò illæ personæ nullum agnoscunt superiorem excepto solùm Deo glorioso, quare vocantur vicarii Dei *Paral. XIX, 6.* quod & innuit *Tertullianus: Sciunt Imperatores, inquit, qui illis dederit imperium: Sentiunt Deum esse solum, in cujus solius sunt potestate, à quo sunt secundi, post quem primi ante omnes Deos & super omnes homines.* Et *D. Ambros. Peccavit David, quod solent Reges, sed pœnitentiam gessit, flevit, ingemuit, quod non solent Reges. Quod erubescunt facere privati, Rex non erubuit confiteri. Qui tenentur legibus, audent suum negare peccatum, de dignantur rogare indulgentiam, quam petebat, qui nullis tenebatur legibus humanis. Rex utiq; erat, nullus ipse legibus tenebatur, quia liberi sunt Reges à vinculis delictorum. Neq; enim ullis ad pœnam vocantur Legibus, tuti Imperii potestate, homini ergo non peccavit, cui non tenebatur obnoxius. Et Horat. Lib. III. Od. 1.*

Regum timendorum in proprios greges

Reges in ipsos Imperium est Jovis.

Si itaq; nullum judicem agnoscunt nisi Summum Numen, quis has personas in terris judicabit? Subditi Principibus inferiores sunt; jam verò inferiori in superiorem denegatur imperium. *Vid. de hac re Puffendorf. de J. N. & G. lib. 7. c. 6. §. 2.*

§. 15. Explicato *Objecto* personali accessum etiam facimus ad *Objectum* reale propter quod pœnæ infliguntur. Illud autem est delictum *h. c.* legum transgressio: Leges enim læsas esse oportet.

tet, si pœnæ seqvi debent; è contrario, si leges lafæ non sunt, neq; pœnæ locum habent. Et ex his seqvitur, quod non omnes actus vitiosi puniri possint. Distingv. autem statim in antecessum *inter actus vitiosos internos nudè spectatos*, & *inter actus internos cum externis conjunctos*. Quod attinet actus vitiosos voluntatis elicitos, immanentes & merè internos, planè puniri non possunt, quia extra civilem jurisdictionem ea sunt peccata, quæ civilem societatem minimè lædunt; hæc igitur si non læsã, neq; leges lafæ dici & per consequens neq; pœnæ expectari possunt. *R. geris*: hac ratione approbantur scelera & manifesta præbetur hominibus occasio in illis perleverandi. *R.* Quod toleratur, id idcirco non approbatur: ex duobus quippe malis minimum (ut vulgo loqvuntur) eligendum est, & ita ob bonum salutemq; Reipublicæ min⁹ malum tolerari potest, ut majus evitetur, si ambo simul eradicari non possint. Præterea eò etiã res rediit post lapsum, ut vitam vitiis contaminatam ducamus, & licet vel maximè in id omnem industriam intendamus, ut inculpatè vivamus, nunquam tamen eã, quæ par erat, ratione præstare possumus. In imperfecto enim nunquam perfectum deprehenditur; Et certè, si *puniendus esset, cuiuscunq; pravum malificumq; ingenium est, pœna paucos exciperet, elogio Seneca l. 2. de Ira c. 31.* Quapropter toleranda quædam ob humanam imperfectionem existimamus, & talia relinqvimus Deo punienda, qui & ad ea noscenda sapientissimus, ad expendenda æqvissimus, ad vindicanda potentissimus severissimusq; est. Excipiuntur hic etiam suo jure actus planè inevitabiles. Contra æqvitatem enim esset, illud quod propter imbecillitatem humanam evitari non potest, pœnam humanam incurrere. Cuilibet etiã liquet, leges datas esse illis actionibus, quæ sunt in nostrâ potestate; actus verò inevitabiles in nostrâ potestate non sunt, adeoq; neq; leges violant, neq; per consequens pœnam merentur. *Dico*: Ergo & hic est actus inevitabilis, si quis per adultam consuetudinem peccat: *Resp. neg.* quia hi actus non proficiscuntur ab imbecillitate naturæ, sed à culpa præcedente, quia aut neglecta sunt remedia, aut morbi ultrò in animum admisi.

§. 16. Secus autem se res habet, quando actus interni cum actibus externis conjunguntur: Ratio prior exspirat, læditur enim societas humana si non directè, tamen indirectè: Hæc autè si læsa, & leges læsas nemo dubitabit & pœnâ proin digni censebuntur illi actus. Quâ de re MAGNIF. DN. ZIGLERUS multa tradit ad *Grotium l. 2. §. 30.* distingvunt etiam adhuc conatum, utrum ad actum proximum, an verò ad remotum saltem pervenerit & impeditus fuerit externo principio: De posteriori tradunt, quod hi conatus ordinariâ pœnâ puniri non possint, quia id, quod intenditur, minimè effectum v.g. quando parricidium quidem attentatum fuit, sed conatus ad actum solum remotum pervenit; aut si quis aliquem percussit leviter, aut emit venenum, sed non propinavit, vel impeditus fuit &c. Quare rectissimè *Magnif. DN. ZIGLERUS l. c.* Sed *suadet tamen, inquit, recta ratio ut in casu, quo effectus conatum non secutus, ab ordinariâ pœnâ absterneatur, presertim in iis delictis, quæ communem ordinem & securitatem civilem non perturbant.* Quod si verò conatus ad actum proximum pervenerunt, tum ordinariâ pœnâ id genus homines afficiendos esse ad unum omnes profitebuntur.

§. 17. Tantum de Subiecto & Objecto Pœnæ: Provehimur nunc ad illius formale. Est autem illud commensuratio pœnarum ratione delicti, adeoq; probè attendendum, ne pœna durior aut remissior inferatur, quàm delicti qualitas requirit; sed, prout res postulat, ita in reum statuatur, necesse est. Discrepant autem adhuc Autores, quomodo pœnæ delictis sint commensurandæ? Putant alii rem optimè decidi posse, si observetur proportio geometrica, quando in pœnis irrogandis, non tantum uni, quantum alteri, tribuitur, sed pro respectu personarum pœnæ nunc graviores nunc leviores æstimantur. Perinde ut in distribuendis præmiis, si personæ sunt æquales, præda æquali, si inæquales, etiam præda inæquali ratione distribuitur. De æqualibus res clara & evidens est: De inæqualibus aliquod exemplum afferemus. Sit v.g. Tribunus militum, qui centurionem dignitate & meritis quintuplo superet, sit inter eos distribuenda præda communis 60. Imperialium: adsunt
hic

hic duæ rationes , una inter dignitatem Tribuni militum & Centurionis, alia inter prædam distribuendam : adest etiam rationum similitudo utraq; quintupla , per quam dicere licet : Uti se habent merita Tribuni militum ad merita Centurionis ita quoq; præda distribuenda nempe ut 50. ad 10. se habere debet. Sic quoq; comparatum esse cum pœnis affirmant. Alii militant pro proportione arithmeticâ , quæ citra respectum personarum, tantum uni, quantum alteri tribuit : Id quod etiam suo loco linquimus. Tutissima autem via erit, si formam petimus ex arbitrio Legislatoris aut summum imperium tenentis, ad salutem Reipublicæ respicientis, qui pro delicti qualitate nunc majores & atrociores, nunc minores & mitiores decernere potest pœnas. Magistratus dein inferior, si hæc observat, & pro varietate circumstantiarum judicat, debitas cuiq; pœnas imponet. Circumstantiæ autem sunt v.g. Quantum, quale scelus, scientia, sexus, conditio, tempus, locus, modus. &c.

§. 18. Dispiciendum igitur erit I. de scelere, quantum aut quale hoc sit, num universam hominum societatem lædat, aut publicum civitatis ordinem perturbet, aut non: quod quò gravius vel levius ita gravior vel levior pœna obtinet; & quò perniciosius Reipublicæ, eò acrius etiam vindicari debet. II. Judicandum etiam erit de ætate, num sit aliquis pubertate proximus aut remotus, num pubertate completâ aut non completâ deprehendatur. III. Probè observanda erit persona, tum quæ delinquit, tum in quem delinquit. Si sunt personæ, quæ in publico munere vivunt v.g. Sacerdotes &c tunc sæpè majus censetur delictum: ratio, quia suo exemplo plus nocent, quam alii, qui extra officiû sunt constituti sacrum. Quapropter scitè illæ personæ comparari possunt cû sole: Hic n. si quando obscuratur, omnes ferè ad illum convertuntur oculi, in stellis autè licet aliqua obscuratio deprehendatur, nemo illâ aut pauci observabunt. Sic quoq; se res habet cû personis in officio publico & extra illud positis: Illas, si delinquant, omnes intuentur, flagitiaq; majori turpitudini ducunt, quæ in illis deprehendunt, quam aliàs in his, qui publico munere nõ funguntur, animadverti solent facinora & censeri. IV. Neq; abs re erit si dispici-

cia-

ciatur de tempore, quo aliquis delinquit, num die Sabbathi aut alio: num tempore matutino, nocturno aut diurno? Prout deinde deprehenduntur crimina ita quoque; graviora & leviora aestimari debent. V. Ratio quoque; loci habenda est, num sit publicus aut privatus, sacer an profanus. Ille enim, qui in loco publico aut sancto nefas committit, gravius omnino peccat, quam ille, qui in privato aut profano loco honestatis decorisque limites transiit. Et uniuscujusque; iudicio ille, qui in templo publicoque; foro stuprum commisit, acriori animadversione poenaeque; dignus est, quam ille, qui in cauponâ, alioque; profano loco id flagitium perpetravit. VI. Tandem nec modus negligendus, quo aliquis delinquit, num dolo, impetu, culpa; an calu & fortuito delictum commiserit? Peccata enim, quae vi, furo aut dolo perpetrata sunt, graviora longè aestimari debent, quam quae fortuito & sine proaesi commissa sunt. Assumamus duos incendiarios, quorum alter ex improvise & praeter spem; alter vero furo & dolo aedes incendit, ubi sanè ab illo, qui ex improvise id peregit, levior poena repetitur, hic vero, qui curavit, ut nocens esset, etiam morte multari potest, quia subdole ejus animo, praemeditato & obstinato peccandi proposito munus fuisse praesumitur. Hinc m. Cic, omne, inquit, quod consilio & de industria factum est, majorem movet indignitatem. Exinde etiam fieri solet, quod majora scelera levius quam minora compefcantur, si illa lapsu & nulla crudelitate commissa sunt, his vero inest latens, operta & in veterata calliditas. Rectè igitur Seneca lib. de Ira Cas. ult. Idem, inquit, delictum in duobus non eodem modo afficit, sed alter per negligentiam commisit, alter curavit, ut nocens esset. Ad modum etiam pertinent vitia duplicata. Nam qui saepius peccant, severiori poenâ afficiuntur, quam qui unâ aut alterâ vice tantum deliquerunt. Rationem suppeditat quotidiana experientia, quia aliquoties apprehensi tractati clementius in eadem proposito temeritate perseverarunt. Ex his proin similibusque; circumstantiis satis atque luculenter patet quomodo quis puniri possit. Prout nimirum delictum se habet, ita quoque; infliguntur poenae. Et hæc de forma.

Tan

§. 19. Tandem etiam finem considerabimus. Triplicem autem cum Seneca lib. de Clem. c. 22. constituemus. Dicit enim. l. c. Tria spectat lex, ut eum, quem punit, emendet, aut pœna cœteros mitiores reddat, aut ut Sublatis malis cœteri securiores vivant. Primus itaq; finis est delinquentis animi emendatio. Comparatum est cum hoc fine, ac cum medico vulnus ab ulceribus purgante, vel etiam medicamenta admovente; qui id intendit, ut homo pristinam sanitatem recuperet, & per consequens emendetur: ita quoq; pœna medicamento loco est, quo delinquens desinat peccare, atq; ita emendetur: quo pertinet illud Seneca lib. i. de Ira. c. 14. dicentis: Corrigendus est qui peccat, & admonitione, & vi & molliter, & asperè: meliorq; tam sibi quàm aliis faciendus, non sine castigatione, sed sine ira. Quis enim, cui medetur, irascitur? Illa autem emendatio ad mortem usq; procedere non potest. Rationem allegat Grotius, cum quo consentit Puffendorf. Quia sic non emendaretur sed prorsus tolleretur, delinquens: deinde delinquens etiam nullum emendationis specimen exhibere posset, & sic cessaret quoq; hic finis. Sed alia ratio est, si delinquens istiusmodi atrociora facinora committit, quæ non nisi cum morte aboleri possunt. Et certè hic homo dein incorrigibilis pronuntiatur, qui parùm vel nihil conducet Reipublicæ, cui ergo nihil decedet, licet illud inutile terræ pondus è medio tollatur. Quapropter & Grotius rectissimè dicit: Ingenis in sanabilibus, quæ pœnam mortis promeruerunt, melius est i. e. minus malum, emori quàm vivere.

§. 20. Secundus pœnæ finis est, ut alii meliores reddantur. Si enim viderint alii, quod aliorum hominum delicta & facinora puniantur, metu cognitæ pœnæ alii ab iisdem delictis sive facinoribus deterrentur, sibiq; prospiciunt, ne parem animadversionem sentiant. Exempla enim, inquit Grotius, ideò adhibentur, ut unius pœnæ metus sit multorum. Adeoq; supplicia non sumi solent, intra angulos carcerum, sed in locis celebribus & cum terribili apparatu, qui terrorem animis vulgi incutere valeat. Quod si autem quis alio modo procederet, ut malum infligetur absq; consilio publico cavendi, aut subditis reformandi, pœna

pœna non esset, sed factum hostile, quia pœna sine suo fine esse non potest.

§. 21. Tertius & ultimus Pœnæ finis est securitas; Per severitatem enim pœnæ securitati omnium consulitur. Ex hoc sequitur privatam vindictam inutilem perniciosamque esse, quia privatus securitatem suam publico præstare vel terrore alios avocare non potest. His accedit particularis privatorum finis. Utilitas ejus, & qui deliquit, & cujus intererat non delictum, qui tamen sub universali isto comprehenditur, quia quicquid ab his exigitur, vel obtinetur, id omne in communem securitatis publicæ finem confluit, & propter eum contingit. Alterius, cujus intererat, delictum non esse, utilitas est (1) ne tale quid ille postea ab eodem, aut ab alio patiat (2) Ut damni, quod passus fuerat, ipsi satisfactio detur. *dicis*: Qui satisfactio fieri possit cum factum reddi infectum nequeat: læsio etiam semel facta læsio maneat? *Resp.* Satisfactio in eo consistit, ut significet, reduci ad priora & retributione æquivalentis à Magistratu determinati absolvi posse. In eundem enim planè statum, in quo ante injuriam, vel delictum nobis intentatum, fueramus, redire posse, impossibile est. At regeris: Quodnam læsi solatium sit? *Resp.* determinatio à Magistratu expectanda est, quam pœnam hic dicitabit, hanc ille, qui læsit, perferre cogitur; Ex quo colligimus læsum non posse determinare ac definire pœnam pro lubitu; quandoquidem ipsi soli non ponitur, sed prout universaliori fini, securitati nimirum publicæ conducit.

SOLI DEO SIT LAUS, HONOR,
ET GLORIA.



Ung. VI 59

ULB Halle

3

004 186 672



f


56.

VD 77.

Juni 2000 A1







DISSERTATIO MORALIS
DE
POENIS,

Quam

25

Auctoritate & Permissu
Amplissimi Senatûs Philosophici

PRÆSES

M. CHRISTOPH. JOHANN:
BELOW, Calb. Sax.

RESPONDENTE

MARTINO CHLADNI,
Cremniz. Hung.

In illustri ad Albim Academia

AD DIEM XXVI. MARTII, Anno M. DC. XC.

publico placidoq; Eruditorum Examine
subjicit



WITTEMBERGÆ,
TYPIS JOHANNIS WILCKII.

h. III. 3649

